



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1861**

CCCLVII. Vergleich des Minoritenklosters zu Prenzlau mit der Stadt über  
die Erweiterung seines Grundstückes, vom 25. Juli 1270.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

CCCLVII. Vergleich des Minoritenlosters zu Prenzlau mit der Stadt über die Erweiterung  
seines Grundstückes, vom 25. Juli 1270.

Vniuersis Cristi fidelibus tam posteris quam presentibus, ad quos peruenerit presens scriptum, frater Iudoldus, Custos Stetynensis, frater Nicolaus, Gardianus prenzlauenfis, ac totus eiusdem domus conuentus Salutem in omnium saluatore. Quoniam, ut ait sapiens, suis spaciis sub sole transeunt omnia et futuri curricula temporis obliuionis ac ignorancie tenebris operiunt vniuersa, oportet, vt ea, que prudenti geruntur consilio, quatinus inconuulsa permaneant, scriptis ac testibus et debitis astipulationibus muniantur. Hinc est, quod nos presenti scripto duximus protestandum, nos cum dilectis in Cristo consulibus et communi ciuitatis primizlauenfis, in qua cum eisdem manemus, voluntate vnanimi conuenisse, vt portam versus pratum et viam ad eandem, que ex parte aquilonari nostre curie adiacebat, de quibus commodum nostrum non modicum turbabatur, ad locum alium a nobis distantem remotius transmūtarent ac eiusdem vie spaciū nostre curie adderetur, relicto eis de eadem dumtaxat spacio extra sepem, quam pro nostris commodis ordinabimus, pro vnus itinere currus, per quod necessitatis tempore ad munitionem ipsorum pateret accessus et pro defensione ipsius lapides adducantur. Ad quam viam versus orientem vnā ponemus portam, aliam versus occidentem de via in curiam, Terciam ex opposito inter munitionem et curiam adiacentem, per quas necessitatis et gwerre tempore prope munitionem possint vigiles circuire. Dictarum vero portarum clauēs in fratrum continue seruabuntur custodia, nisi dicti consules propter notabilis gwerre periculum easdem sibi exegerint rationabiliter pro tempore presentari, Quā cessante fratribus reddentur denuo referuande. Ceterum in dicte vie nobis ab ipsis collate recompensationem fratres contra viam nouam ab v̄kara fluuio per pratum ad sternendam viam fossatum fieri procurauerunt, ad cuius subsidium decem talenta brandenburgenfium predicti consules impenderunt. Conuenimus nichilominus cum eisdem, ne fossatum seu plancas pro defensione ciuitatis, per quod curiam seu locum fratrum artari contingeret, facerent, quod sepe dicti fratres versus aquam ad eorum latitudinem aree murum erigi procurarent vsque ad tynnas duodecim et supra tynnas VI pedum altitudinem retinentem. Per murum vero iam dictum ad ortum fratrum et fluuium, pro vt nobis competet, portam habebimus nec non et valuam ex parte altera, per quam de fluuio in curiam ligna et lapides ac alia necessaria transportentur. Ne igitur factum huiusmodi alicui in posterum, quod absit, in dubium veniat, presentium seriem sigillis nostris fecimus roborari. Acta sunt hec Anno domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> LXX<sup>o</sup>, VIII<sup>o</sup> kalendas Augusti.

Nach dem Originale des Prenzlauer Stadtarchives.